

vitates quantumvis florentissimas nobili vetustate anteire.

Ne tamen in una vetustate Urbis gloriemur, cum rebus etiam exiguis diuturnis esse quandoque liceat, Urbs hæc jam à prima ætate sua, quod adhuc nostris est temporibus, Romanorum Imperatorum sedes præ aliis fuit delecta, ac Imperatores sui Incolas Julium, Octavianum, Augustum, Tiberium, Claudium, Drusum, Cajum Cæsarem, Galbam, Vespasianum, Nervam, Trajanum, Marcum Aurelium, Pertinacem, Septimium Severum, aliósque plures numeravit, qui tempore sat longo opportunitate belli cum finitimis populis hac in Urbe subditis jura dictabant, & imperia moderabantur, quæ certa jam erant futuræ gloriæ, quæ Vienna olim triumphatura est, præfagia, & monumenta. Vide de his Specul. Hon. Dom. Austr. l. 2. c. 1. & Lazii l. 2. c. 1. Et licet sæpius Martis insani impetu fuerit prostrata, nunquam tamen evelli ita potuit, ut non in caput, & Principem Urbium, qualem nunc miramur, excresceret, ad eum planè modum, quo quandoque suo sub cinere latitans favilla ad tempus delitescit, quæ nihilofecius leni excitata flamine in tantum erumpit incendium, quod summis etiam, ac angustis palatiis supremum exitium minitatur. Ne verò in immensum oratio decurrat, non hîc, quod Cornelius Tacitus de amore German. fufius differit, nobis mens est describere turbines, & prælia, quæ gentes variæ adversus Germanam fortitudinem suo sæpius damno attentârunt, neque primas Urbis hujus vicinorumque locorum direptiones depingere, quibus succumbere quandoque invictam alioquin Urbis nostræ potentiam erat necesse: quid enim tam forte unquam fuit, aut esse poterit, quod non eventu aliquo si non omnind, ad tempus tamen fuit suppressum. Non primam mundi faciem diluvio universali deletam, non Monarchias quasque potentissimas ab aliis devictas in exemplum adferam, quotidiana experientia creatas res omnes perpetuò non esse sibi constantes, abundè super declarat. Illud certò prodigii, & summæ gloriæ loco ducendum esse existimo, Viennam, licet ad tempus obscuratam, nunquam tamen fuisse deletam, ut non copiosiore lumine orbi fulgeret, & posteritati. Licet enim communi reliquis excidio Bellonæ incendium etiam hanc Urbem nostram involverit, & splendorem illius quingentis an-

nis, (tánto enim tempore deserta permanfit) oculis posterorum eripuerit, aurum tamen imitabatur, quod purius ex igne, quam intrârat, egrederetur: Nam cum hac de causa Marchiones Austriæ (nondum enim Archiduces nominabantur, sed tempore Friderici II. uti Cuspiannus, Münsterus, & Lazius autumant, Austria Archiducatus dicta est) Melicii, qui locustum temporis Austriæ Metropolis erat, residerent, Leopoldus Pius, Sanctorum postea Catalogo adscriptus, devictis Hungaris, & ex Austriæ finibus ejectis secundo Danubio descendens, Aulam sibi ad apicem montis Cessii extruxit: nondum Vienna suis à rudibus erat effossa, sylvestres arborum tapetes adhuc locum incultum retinebant, & unicum solum arbusta inter Venatorum erat receptaculum, quod vicinæ illi nomen vulgò *Pürchhoff* (cujus in memoriam Leopoldus I. Aug. Rom. Imp. anno 1670. supra tectum aulæ suæ cervum, & Venatorem ex Lamina cuprea poni curavit) imponebat: cum successu temporis evelli arbores, & similia plura tuguria ædificari cœpta, donec ex aulæ primoribus quidam Majores condere domos, & Henricus II. Leopoldi Sancti Filii decimo quarto regiminis sui anno Viennam incolere, & in Urbem formari mandaret: restat adhuc hodie ipsa in Urbe truncus quidam arboreus ferro circumdatus ad domum quandam, quam vocabulo communi *beym Stock in Eysen* nominant, qui in memoriam manet relictus. Desinebatur verò Urbs ipsa angustiori longè termino, ac modo miramur, neque ædificiis tam copiosis, neque districtu tam amplo extendebatur, siquidem Monasterium ad Scotenses dictum, plateæ Dominorum, Carinthiaca, Pistorum, Forum altum, Aula, *Wolzeil/Graben* Gradus B. V. & quidquid vicinia illa includit, nullo adhuc Civitatis muro comprehendebantur: donec eam Leopoldus VI. cognomine Virtuosus, splendidis ornari ædificiis, Mœniis cingi, & propugnaculis muniri, ac ita fecit ornari, ut jam iterum adversus fidei, aliósque hostes firmissimum præsidium, Mercimoniorum diversorum Emporium, florentissimarum sex Nationum Germanæ videlicet, Hungaræ, Italæ, Bohemicæ, Polonicæ, & Sclavonicæ commune hospitium, & Imperii tandem Romani, ac ipsius mundi effecta sit gemma, & ornamentum.

## TITULUS II.

### *Moderna Urbis facies, situs, & munimenta.*

Quamvis plurima sint, eaque non exigua, quæ Urbem nostram amabilem civibus, mirandam exteris, jucundam amicis, formidandam hostibus, orbi denique universo celebrem reddere possint, non tamen

ultimo censendum loco autumo, quæ ab aliis inter prima numerantur, situm amœnum, & munimenta; quemadmodum enim ex cortice nucleum, ex foliis arborem, ex floribus fructum, ex indice bene ordinatum horologium, sic



fic ex his internum splendorem, & magnificentiam ejusdem licet conjecturare; quæ si vera sunt, uti negari non possunt, Viennam Urbium Principem, supra astra collocandam nemo est, qui diffiteatur. Ut autem quod tractandum suscepimus prosequamur, cum id secundum meritum Civitatis hujus non possimus, pictores eos imitabimur, qui opus aliquod, dum vivis coloribus exprimere non valent, illud sub umbra constituunt, aut nocte aliquâ contectum proponunt aliis, ut vel sic se impares tanto oneri etiam inviti fateantur: Ità nos cum nativum Urbis hujus splendorem, quantus in se est, ob oculos aliis ponere nequeamus, rudiori calamo, quasi nubeculâ quapiam eundem contegentes fateri non pudet, majorem esse Urbis Majestatem quàm verba, quibus eam describere adlaboramus.

Vienna itaque Austriae Metropolis Germanique Imperii sedes illam hæctenus induta est Majestatem, ut si eam cum vetere conferas, Viennam intra Viennam cum Diogene vel accensis facibus scrutarè; ita enim magnitudine, decore, potentiâ, fortitudine, aliisque donis, & dotibus semetipsam transcendit, ut non illam, sed aliam prorsus esse profitereris: Et quamvis situm, quo antehac gloriabatur, amoenissimum nunquam mutaverit, nec in aliud translata solum pristinam stationem reliquerit, magno tamen dilatata circuitu in eam excrevit vastitatem, ut maximis Orbis Civitatibus, quemadmodum in fine demonstrabimus, non comparari modò, sed anteferri posse videatur.

Sita est autem Urbs nostra septentrionem versùs loco salubri, & plano, ac ventis, qui frequentes aërem, quod sanitati conducit plurimum, serenent, pervio: A dextris Danubio fluviorum Germaniæ Principe defenditur, quem 60. minores, navium tamen feraces amnes, quasi totidem tributarii reguli sui accessione locupletant. Et quamvis non integro alluatur flumine (illud enim medio circiter ab Urbe miliari cursum suum tranquillâ Majestate profectitur) tantum nihilominus sui ad rubram turrim profundit alveum, ut nisi aut caloris vehementiâ, aut nimîâ aëris siccitate præpediatur, integra etiam navigia patiat, quæ alioquin in disscito ad lapidem pago, à Nucibus vulgò *Nussdorff* dicto morari, aut alto Danubio defluere coguntur. Terram habet omni ex parte fructuum, frumenti, viniq; feracem, quæ tanta in copia colonorum compensat labores, ut in vicinas etiam Provincias cum magno earundem commodo, & nullo Austriae dispendio distrahi possint, & divendi, ad quæ non modicum conferre videntur elemens influxus siderum, & climatis moderata temperies: nam si Clavio credimus, secundum cœli dimensionem in tabulis Geographicis juxta longitudinem habet 37. gradus, 45. minuta, juxta latitudinem verò 48. 20. minuta continet, quæ poli constitutio neque frigoris excessum in hyeme, neque abundantiam caloris in æstate, sed temperatas, benèque ordinatas anni partes invehat, & in-

volvat est necesse. Et quemadmodum situs hic, locique jucundus intuitus Incolis, civibusque gaudium & immunitatem, ità non minorem adfert invidiam hostibus, & externa Urbis facies ad omnem hostilem impetum retundendum abundè provisa. Circundant illam muri firmissimi; quos olim Leopoldus V. uti superiori titulo recensuimus, adhibitis ad id 50000. Marcarum auri, quas à Richardo Angliæ Rege ob irrogatam sibi in terra sancta contumeliam, dum Viennæ caperetur, acceperat, primò ædificari, & turribus quales adhuc ad portam rubram videntur muniri, quod Cuspien. de Cæsare sub Henrico VI. ad annum circiter 1192. factum fuisse, ac adhuc à se lapideas Leopoldi Ducis, & Richardi Angliæ Regis statuas in exteriore muro ad portam rubram locatas cum annexa subscriptione, quæ tamen injuriâ temporis destructa legi amplius non poterat, visas fuisse affirmat: Hi muri successu temporis ad artis regulas meliùs à variis gloriosæ memoriæ Imperatoribus præsertim Ferd. I. H. III. & regnante Augustissimo Cæsare Leopoldo I. uti incisæ lapidibus exhibent litteræ, propugnaculis majoribus duodecim, & minoribus undecim cocto ex latere, & quadris ad radicem, ac angulos lapidibus, vis occulcis, fossâ secundum proportionem profundâ & latâ, quæ si opus sit pro libito potiori ex parte aquâ impleri possit, palis arctè circum circa conjunctis, & omni ad hostem arcessendum apparatu ità defensi sunt, ut concordi omnium quotquot fortitudinem Urbis aut considerarunt, aut damno suo experti, consensu, inter primaria Orbis munimenta Vienna jure merito possit collocari. Habet autem præter 11. Revelinos propugnacula, ex quibus in castra hostilia horrendum detonare queant tormenta, majora duodecim: Aquaticum, seu Hydragogicum, Braunianum, Stubense, Biberianum, Civicum seu Sambucum, ad rubram Turrim, Novæ Portæ, Propugnaculum, vulgò die *Ellend*/ Melicense, Löbelinum, Palatinum & Carinthiacum. Portas quod attinet Urbs universa 6. continet arcibus, & fornicibus insignes, advenisque & aliis è Regionibus adventantibus peropportunas, quæ ad 40. pluresque pedes sua in longitudine extensæ vel solæ ad hostiles infringendas vires sufficerent: Et ut à primaria quæ ab Aula Cæsarearum, Regiarumque Majestatum, Aulica nominatur, incipiamus, ea Occidentem respicit, viamque in Noricum Ripense, & Imperium ostendit. Altera majoribus nostris Hortensis nunc Scotensis dicitur, ob insigne quoddam P. P. ex Ordine D. Benedicti ad Scotenses de quibus plura alibi, Monasterium, portæ illi vicinam; Occidentem inter, & Septentrionem hæc sita est, illisque percommoda, qui adversò Danubio in Superioris Austriae Partes proficisci desiderant. Sequitur hanc porta alia, ad Septentrionem posita ob commoditatem littoris ante annos paucos ab Augustissimo Imperatore Leopoldo erecta, & ob id porta nova appellata, a qua passibus circiter ducentis distat porta ab adstantibus rubris



bris Turribus rubea nūcupata, sita est Septentrionem inter & Ortum ac in Bohemiam, Poloniam, Moraviam, transeuntibus inservit. Stubensis ad Ortum posita Hungaros venientes excipit, & vicissim in vastum Hungariæ Regnum euntibus commoditatem omnem exhibet. Ultima tandem cui à Carinthiæ Provincia Carinthiacæ nomen impositum, ac meridiem versus ædificata est, quidquid ex Styria, Carinthia, Carnioliâ, Italia, &c. Viennam devehitur suo transitu recipit: Cæterum ne qua vi, aut fraude per aliquam harum hosti aditus pateat, solertibus vigiliis, quæ in horas singulas militibus aliis, ac aliis tam diebus quàm noctibus sibi succedentibus renovantur, vigilantibus circum per mœnia custodibus, statutis claudendi, aperiendique pro temporis diversitate temporibus, providâ Centurionum, aliorumque, quibus incumbit officialium curâ, & tandem paternâ illius sine quo vigilatur frustra, Numinis videlicet sollicitudine, & providentiâ superabundè prohibetur; quem tamen in finem, quod ad hunc titulum referendum judicavi, amplissima ipsa in Urbe, præter copiosa militum receptacula 3. sunt erecta armamentaria, quorum vel unum Cæsareum ad 30000. Cataphracturâ fer-

reâ armare, plures multò sclopis, hastis, ensibus, bipennibus aliisque militari apparatu, tam contra hostiles insultus, quàm apertis in certaminibus potest munire ita, ut formidandum hostibus exercitum ex hoc uno velut ex equo Trojano possit educere, qui innumeris tam minorum scloporum, quàm tormentorum Mortariorum, aliarumque ænearum fistularum impetat inimicas vires viribus, cladibus labefactet. Alterum itidem Cæsareum Arsenale dictum naves varias continet, quibus si opus foret per Canalem ex Danubio ad mœnia introductum erumpere milites, hostesque tam terrâ, quàm aquâ aggredi valerent. Tertium armamentarium Civitatis proprium, & ob id civicum appellatum non procul à domo Professæ, præter magnam tormentorum, & mortariorum copiam innumeram aliorum armorum habet multitudinem, quæ multa millia hostibus objicere potest intuitu solo formidandorum, ut vel ita prodigii loco habenda sit Civitas afforis tam benemunita, intus armis, & bellico apparatu, qualem justus etiam & ad 100. vel plura millia excurrere non expleat exercitus, tam abundanter provisâ.

## TITULUS III.

### *Interna Urbis constitutio Templorum ædificia, & quid in iis videndum.*

**T**anta fuit apud Ethnicos, & Barbaros æquè ac Christianæ fidei Cultores in Deum Superosque pietas, ut nullam ferè gentem reperias, quæ non Deos suos, & quæ à majoribus nostris accepit Numina angustis templorum structuris duxerit esse celebranda, hinc tot per Orbem Universum splendidæ, ac à sola magnificentia sua, & sumptibus notæ posteritati moles, quas immensis propè thesauris Sesostris in Ægypto, Semiramis Babylone, Delphis Agamedes, & Trophonius, Romulus, Numma, Ancus Martius, Tarquinus, & alii Romæ Amazones, ut volunt Solinus, & Mela, vel ut Pausanias, Græsus Ephesius, aliique aliis in locis extruxerant: hinc nostro adhuc ævo tot stupenda mundo spectacula, quot à summis Pontificibus, Coronatis verticibus, fidei Catholicæ firmis præsiidiis, veri Dei gloriæque divinæ Zelotis profusâ liberalitate prostant monumenta. Taceo antiqua tempora, prætereo Felices, Paschales, Hilarios, Symachos, Bonifacios, aliisque Ecclesiæ Pastores, fileo Constantinos, Heraclios, Justinianos, Basilios, Clodovæos, Dagobertos, nota à pietate posteris nomina, longisque è regionibus petita: Austriacæ Domus Viennensem per Urbem Deo, Divi, que erecta odæa loquuntur Religionem, eamque vel multo sermone sufficienter deprædicant, ac tinnientibus campanis ad ultimam usque Thulen unâ

cum sono Urbis nostræ provehunt gloriam, & Majestatem. Et ut templis illis quibus ob jurisdictionem, quam habent, primas deferre oportet, partes præcipuas concedamus, 4. numerantur Parochiales per Urbem Ecclesiæ: S. Stephani Cathedralis, ad gradus B. V. ad S. Michaëlem, & ad Scotenses: in his pastoralia exercentur munia, & tam vivis, quàm mortuis ex proprio cujusvis jure, & munere subvenitur.

Prima dignitate omnium reliquorum est Cathedralis S. Stephani Ecclesia, quæ ut refert Lazius anno 1140. in honorem omnium SS. ab Henrico primo Austriæ Duce S. Leopoldi Filio exstructa, parvum prius, & angustum extra Civitatis mœnia tempellum erat, quod Rudolphus IV. anno 1360. postquam jam 20. annis prius, anno videlicet 1340. à Remberto Passaviensium Episcopo Dominica in albis, quo die etiam quot annis templi illius celebratur dedicatio, in honorem S. Proto-Martyris Stephani solemniter est consecratum, in Cathedrali evexit Ecclesiam, arcibus, fornicibus, lemniscis, ac turris fundamento posito magis exornavit, Præposito, & 24. Canonicis, quibus sufficientes pro decore proventus addidit, illustris, & splendidius reddidit, ac effecit, quam turrim deinde pro pietate sua Albertus III. & tandem Albertus IV. ædili Antonio Pilgraben anno 1400. absolvit, & amplitudine, elegantia, for-